

AN. salvom venisse gaudeo. *CL.* teneone te,
Antiphila, maxume animo exspectatam meo?
SV. ite intro; nam vos iamdudum exspectat senex.

ACTVS III

i

CHREMES MENEDEMVS

CH. Luciscit hoc iam. cesso pultare ostium
vicini, primum e me ut sciat sibi filium
redissem? etsi adulescentem hoc nolle intellego.
verum quom videam miserum hunc tam excruciarier
5 ei(u)s abitu, celem tam insperatum gaudium,
quōm illi pericli nil ex indicio siet?
haud faciam; nam quod potero adiutabo senem.
item ūt filium mēūm amico atque aequali suo
video inservire et socium esse in negotiis,
10 nos quoque senes est aequom senibus obsequi.

ME. aut ego profecto ingenio egregio ad miseras
natus sum aut illud falsumst quod volgo audio
dici, diem adimere aegritudinem hominibus;
nam mihi quidem cotidie augescit magis
15 de filio aegritudo, et quanto diutius
abest mage cupio tanto et mage desidero.

CH. sed ipsum forās egressum video: ibo adloquar.
Menedeme, salve: nuntium adporto tibi
quo(u)s maxume te fieri participem cupis.
20 *ME.* num quid nam de gnato meo audisti, Chreme?

410

415

420

425